Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31625
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

in oratione cum lacrimis et geminas tendens palmas ad astra, beati Martini auxilium precabatur, et ut se dignaretur adesse velociter proclamabat. Unus autem ex perfidis dicit: Martinus ille quem invocas iam te reliquit, nec tibi in hac necessitate succurrit. Vere credo hanc vocem ab insidiatore fuisse prolatam, ut beatum sacerdotem ab oratione turbaret. Sed ille hoc satane iaculum fidei lorica repellens, magis ac magis sancti viri presidium flagitabat, simulque cohortans omnes ut orarent. Cum hec agerentur, subito supervenit odor suavissimus quasi balsamum in navi, tanquam si cum thuribulo aliquis circuiret odor thimiamatis efflagravit. Quo odore adveniente cessit violentia seva ventorum, elisisque aquarum atlantium molibus redditur mare tranquillum. Mirantur omnes morti iam dediti fluctuum pacem, et protinus data serenitate redduntur litori. Quod nullus ambigat beati viri adventu hanc tempestatem fuisse sedatam. Tunc omnes in commune domino gratias referunt, quod eos per invocationem antistitis sui dignatus sit de hoc periculo liberare.

Eo etiam tempore quidam de Camaracense reliquias beati Martini expetiit. Quas iam vespere acceptas cum psallendo proficisceretur, et dum Ligerem fluvium transiret sero, subito contenebratum est celum, et ecce fulgura et tonitrua magna descendebant. Dum hec agerentur, due puerorum lancee emissas flammeas pharos luminis euntibus prebuerunt, ibantque fulgurantes haste, non minus miraculi quam beneficii viatoribus preferentes et virtutem beati antistitis ostendentes.

Defecit lingua sterilis tantas cupiens enarrare virtutes. Chararici cuiusdam regis Gallicie filius graviter egrotabat, qui tale tedium incurrerat, ut solo spiritu palpitaret. Pater autem eius fetide se arriane secte una cum incolis loci subdiderat. Sed et regio illa plus solito quam alie provincie a lepra hac sordebat. Cumque rex videret urgeri filium in extremis, dicit suis: Martinus ille quem in Gallis dicunt multis virtutibus effulgere, cuius queso religionis vir fuerit enarrate. Cui aiunt: Catholice fidei populum pastorali cura in corpore positus gubernavit, asserens filium cum patre et spiritu sancto equali substantia vel omnipotentia venerari. Sed et nunc celo locatus assiduis beneficiis non cessat plebi proprie subvenire. Qui ait: Si hec vera sunt que profertis, discurrant usque ad eius templum fideles amici multa munera deportantes, et si obtinent mei infantuli medicinam, inquisita fide catholica quecumque ille credidit credam. Pensato quoque auro et argento ad filii sui pondus, transmisit ad venerabilem locum sepulchri. Quo venientes oblatis muneribus exorant ad sanctum tumulum pro egroto. Sed insidente adhuc in patris pectore secta non continuo integram recipere filius meruit medicinam. Reversi autem nuntii narraverunt regi se multas virtutes ad beati tumulum vidisse, sed cur non sanatus fuerit filius eius ignorasse. At ille intelligens non ante sanari posse filium, nisi equalem cum patre crederet Christum, in honore beati Martini fabricavit miro opere ecclesiam expeditamque proclamat: Si suscipere mereor viri iusti reliquias, quecumque predicaverint sacerdotes credam. Et sic iterum suos dirigit cum maiori munere. Qui venientes ad beatum locum reliquias postulabant. Cumque eis offerrentur, ex consuetudine dixerunt: Non ita faciemus, sed nobis queso licentia tribuatur ponendi, que exinde iterum assumamus. Tunc partem palli syrici pensatum super beatum sepulchrum posuerunt dicentes: Si invenimus gratiam coram expetito patrono, que posuimus plus in sequenti pensabunt, eritque nobis in benedictione quesita per fidem. Vigilata quoque una nocte, facto mane que posuerant pensitabant, in quibus tanta beati viri infusa est gratia, ut tamdiu elevarent in sublimi aeream libram, quantum habere poterat quo ascenderent montana. Cumque elevate fuissent reliquie cum magno triumpho, audierunt voces psallentium qui erant in civitate detrusi in carcerem, et admirantes suavitatem soni interrogant custodes quid hoc esset. Qui dixerunt: Reliquie domini Martini in Gallicia transmittuntur, et ideo sic psallitur. Tunc illi flentes invocabant sanctum Martinum ut eos sua visitatione liberaret. Exterritisque custodibus et in fugam versis, diruptis obicibus retinaculorum, liberi populus surgit a vinculo, et sic usque ad sancta pignora populo expectante venerunt, osculando flentes beatas reliquias, simulque gratias beato Martino pro sua absolutione reddentes, quod eos dignatus fuit pietate sua salvare. Tunc obtentis per sacerdotem a iudice culpis, incolumes dimissi sunt. Quod videntes gestatores reliquiarum, gavisi sunt valde dicentes: Nunc cognovimus quod dignatur beatus antistes nobis peccatoribus propicium se prebere. Et sic gratias agentes, navigio prospero sequente, patroni presidio, undis lenibus, temperatis flatibus, velo pendulo, mari tranquillo velociter ad portum Gallicie pervenerunt. Tunc commonitus a deo beatus Martinus de regione longinqua, qui ibidem nunc sacerdos habetur, advenit. Sed nec hoc credo sine divina fuisse providentia, quod ea die se commoneret